



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VI. Refellitur hæresis Nestorij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

docuit, vt mihi sanè magis Eutyechianista, quàm Nestorianus fuisse videatur. Quod etiam vidit, & notauit Beza, nam ad finem libri aduersus Iacobi Andreae theses recitat hanc Lutheri sententiam, atque addit, Germaniæ, & totius mundi peccata fecisse, vt in ea cõfessione Lutherus non perseuerarit.

CALVINVS autem lib. I. Institutionum, cap. 13. §. 9. de Christo disputans, vt est persona quædam diuina, sic ait; Mediatoris personam nondum attingo. & §. 23. *Respondeo*, inquit, *Dei esse Filiũ, quia sermo est à Patre ante secula genitus, nondum enim de mediatoris persona nobis sermo est.* Et §. 24. *Nam ex quo manifestatus est in carne Christus, Filius Dei vocatur, non tantum quatenus ante secula genitus ex Patre, fuit æternus sermo, sed quia mediatoris suscepit personam, & munus.* Vbi perpetuò distinguere videtur Calvinus in Christo duas personas, vnã Filij Dei, alteram mediatoris. Nec videtur excusari posse, quasi nomine, personæ mediatoris, non substantiam, sed qualitatem intelligat, quo modo dicere solemus, aliquem suscepisse personam Iudicis aut Aduocati. Nam ibidem §. 6. *Personam*, inquit, *voco subsistentiam.* Et in toto illo capite, personæ nomine vitur ad designandam substantiam incommunicabilem. Itaq; saltẽ à vitiosa æquiocatione excusari non potest. Clarissimè autem huic hæresi fauent BRENTIVS in lib. de maiestate hominis Christi, vbi sæpissimè repetit, Filium Dei esse in Filio Mariæ; & SMIDELINVS in thesibus, vt supra notauimus.

CAPVT VI.

Refellitur hæresis Nestorij.

SED iam hanc ipsam hæresim breuiter refellamus, ac demonstremus, vnã in Christo esse personam, & non purum hominem, sed ipsum Deum Verbum, secundum carnem, de Virgine natum, passum in cruce, ac mortuum esse. Ac primùm omnia testimonia quæ protulimus contra novos Samosatianos, & novos Arianos in primo libro, vt probarem, Christum esse verum Deum; non minorem vim habent aduersus

sus Nestorium, quàm aduersus nouos Samolatenos, & Arianos.

Præterea nouum Testamentum plenum est testimoniis. Matt. 16. Quem dicunt homines esse Filium hominis? Respondit Petrus; Tu es Christus Filius Dei viui. Vbi aperte Petrus ipsum Filium hominis, Filium Dei viui esse confitetur. Luc. 1. Ideo quod nascetur ex te sanctum uocabitur Filius Dei. Ille igitur ipse, qui natus est ex Virgine, nõ aliquis aliter uerè uocatur, & est Filius Dei. Item Ioan. 1. Et Verbum caro factum est. Vt enim supra diximus contra Eutyrianos, sensus eorum uerborum est, Verbum caro factum est, id est, Deus factus est homo, sicut dicimus, Dauid factus est Rex. Vt ergo Dauid & Rex nõ sunt duæ personæ sed una, nec diuersæ formæ sint, natura humana, & dignitas regia: ita quod, una persona est Verbi, & carnis, licet duæ ac diuersæ sint naturæ, siue naturæ, diuinitas Verbi, & hominis caro.

Simile est illud Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo. Hunc cum cum non facile est aliter exponere, quàm ut Chrysostomus, Augustinus, & Cyrillus in hunc locum, & Nazianzenus ad Chelidonium exposuerunt. nimirum Dominus cælestis asserit Filium hominis, & Filium Dei. alioqui enim factum esset Filium hominis descendisse de cælo, & tunc cum loquebatur in terra, simul in cælo fuisse.

Item Ioan. 10. Ego & Pater unum sumus. Quæ certè uerba humanæ personæ conuenire non possunt, ac propterea ipse homo Christus qui tunc loquebatur, non Verbi tantummodo, sed Verbum ipsum erat. Et cap. 9 dixit Dominus cæco, paulò autè illuminato: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille; Quis est Domine, & credam in eum? dixit ei Iesus. Et uidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. At ille ait. Domine. Et prostratus adorauit eum. Non poterat sanctissimus apertius demonstrare unam esse personam Filij & Patris. Nam illum ipsum, quem cæcus illuminatus uidit, audiuit, adorauit, Filium Dei appellari uidebat. Et cap. 20. dixit Thomas Domino quæ uidebat: Dominus meus Deus meus. Hunc locum mirè deprauabat Theodorus Mopsuestenus, ut patet ex V. Synodo act. vlt. cap. 12. dicebat enim Thomam non dixisse de Christo, Dominus meus, & Deus meus.

Aug. 10. dicitur quod

meus, sed obtupefcentem de miraculo resurrectionis, glorificasse Deum, oculisque in cœlum sublatis dixisse Deo Patri, Dominus meus, & Deus meus.

Sed præterquam quod Sancti omnes aliter exponunt, etiam ipse S. Ioannes ibidem prouidens hæresim Nestorij, immò scribens contra Cherintum eadem hæresi laborantem, mox subdit: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei*, id est, ut non diuidatis Christum in duas personas, in Filium Dei, & Filium hominis, sed credatis Iesum Filium Mariæ eundem esse Christum Filium Dei. Præterea nō ait Ioannes, *dixit Thomas: Dominus meus, & Deus meus: sed ait, Respondit & dixit ei, id est, Christo, Dominus meus, & Deus meus.* Neque est in textu Græco nota exclamatio, vel admirationis, sed ò, articulus designans simplicem confessionem veritatis. Sed de hoc loco plura diximus supra, lib. I. cap. 6.

Iam Apostolus Rom. 8. *Qui proprio Filio, inquit, non percipit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quid clarius? Et cap. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.* Ille igitur Christus homo, qui Filius erat Abrahæ secundum carnem, nō Dei templum, aut instrumentum erat, sed ipse Deus verus super omnia benedictus in secula. Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, nō rapinam arbitratus est esse se equalē Deo, sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Et infra: *Humiliavit semetipsum, factus obediens & sive ad mortem.* 1. Cor. 2. *Si enim cognouissent, nunquā Dominum gloria crucifixissent.* Et hæc planè clarissima sunt. hinc enim habemus, illud ipsum Verbum, quod est apud Patrem in forma Dei, & Dominus gloriæ verissimè nominatur, illud, inquam, ipsum hominis formam accepisse, atque in ea verè crucifixum & mortuum esse.

Rursum idem Apostolus cū ait 1. Corinth. 8. *Vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia*, per illud, *per quem omnia*, idem significat quod Ioannes illis verbis, capite I. *Omnia per ipsum facta sunt.* Quæ de Verbo Dei omnium consensu intelliguntur. Itaque Apostolus dicere voluit vnū & eundem esse Iesum Christum de Maria natum, & illum

Filium Dei per quem omnia facta sunt. & Hebraei clarissime *Multifariam, multisq; modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis nouissime diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & secula.* Vbi cum dicit, *loquutus est nobis in Filio*, de Christo homine loquitur, & tamen de isto eodem dicit: *Per quem fecit & secula.* Et cap. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, per quem omnia, per passionem consumari.* Et infra: *Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse participauit eisdem, & per mortem destrueret eum, qui mortui habebat imperium.* Vbi dicit, *eum propter quem omnia, & per quem omnia, id est, verum Deum, qui est principium & finis omnium rerum, mori debuisse pro nobis, &, ut vere mori posset, quomodo nos morimur, participasse carnem & sanguinem eo modo quo nos participamus, id est, veri factum esse hominem, vt nos sumus.*

Præterea Ioannes in epist. 1. cap. 1. nihil aliud ferè docet, quàm vnã esse Dei, & hominis in Christo personam. *Quid fuit, inquit, ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, &c.* ait, se vidisse oculis corporalibus Verbum quod fuit ab initio. quod non potest esse verum, nisi rationis vnitatis personæ. Et cap. 2. *Quis est mendax nisi qui negat carnem Iesus est Christus, id est, qui diuidit saluatorem in duos, vt Cherintus & Nestorius faciunt.* Et cap. 3. *In hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Quid est, Deus pro nobis animã suam posuit, nisi Deus pro nobis mortuus est? non igitur alius est Dei Filius immortalis, alius Mariæ Filius, qui mortem perculit, sed & idem, qua Filius Dei semper immortalis, qua Filius Mariæ, aliquando mortalis fuit. Et cap. 4. *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Et infra: *Quisquis ergo confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet.* Et cap. 5. & vlt. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei.*

Ad hæc omnia loca respondent NESTORIANI, hæc negare Iesum esse Filium Dei, & Deum, & vnum tantum non duos: sed vnitatem habitationis, voluntatis, operationis, participationis, vt supra diximus, non vnitatem personæ. At Cherintus ista etiam confitebatur de Christo, & tunc

Ioannes dicit illum soluere Iesum, & non confiteri Iesum esse Filium Dei.

Præterea illa omnia quæ Nestoriani tribuunt Christo, conueniunt etiam aliis sanctis hominibus. Nam quod Deus in Sanctis suis ut in templis habiter, habetur 1. Corinth. 3. *Nescitis quoniam templum Dei estis.* Et 1. Corinth. 6. *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est? Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quod etiam per vniionem voluntatis Sancti vnum sint cum Deo, non minus quàm vir & vxor per carnalem copulam, quod THEODORVS Mopsuestenus pro magna dignitate tribuebat Christo, habetur ibidem 1. Corinth. 6. *Qui adhaeret, inquit Paulus, meretrici, vnum corpus efficitur, erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhaeret Deo, vnus spiritus est.* quid clarius?

Quod autem per homines sanctos, ut per instrumenta, Deus operetur, habetur Roman. 15. *Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Christus, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti, &c.* Et 1. Corinth. 12. *Diuisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus.* Denique quoddam sancti homines sint Filij & Dij etiam quidam per participationem & gratiam, habetur Psalm. 81. *Ego dixi Dij estis, & Filij excelsi omnes.* Et Galat. 4. *Quoniam estis Filij Dei, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, &c.* Itaque omnia quæ Nestorius tribuit Christo, in Sanctis ceteris inueniuntur. At certum est longè aliter Christum esse Deum, & Dei Filium, quàm nos simus, cum Apostolus dicat, magnum esse pietatis mysterium quod Deus apparuerit in carne, 1. Timoth. 3.

ProbatuR SECUNDO ex omnibus Symbolis fidei Nam in Symbolo Apostolorum legimus: *Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, &c.* Vbi is, qui est Filius Dei vnicus, dicitur natus ex Maria Virgine. Idem habetur in Symbolo Nicæno, & Constantinopol. In Symbolo autem ATHANASII additur explicatius: *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus, vnus omnino non confusione substantia, sed vnitare persona.*

Proba-

Probatur TERTIO ex Conciliis. Nam ioprimum in Concilio III. quod fuit EPHESINUM I. nihil aliud definitum est, quam unam esse Christi personam, non duas. Et ibidem recepta est epistola Cyrilli ad Nestorium cum duodecim capitulis seu anathematismis, quæ Cyrillus ediderat in Concilio provinciali Alexandrino, antequam cogeretur Concilium Ephesinum. Vnde ista duodecim capitula habita sunt postea tanquam Concilij generalis Ephesini, ut patet ex Concilio ROMANO sub Martino I. In igitur capitula legis: *Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, & propterea Dei genitricem sanctam Virginem, anathema sit.* In 2. autem cap. sic: *Si quis non confitetur carnis secundam substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum & hominem simul, anathema sit.*

Deinde in Concilio CHALCEDONENSI etiam generali, act. 5. probata fuerunt acta in Ephesino Concilio contra Nestorium, & rursus sic definitum: *Salva virtus personarum proprietate, & in unam personam ac substantiam concurrente, non in duas personas distributum, vel divisum, sed unum, & ipsum unigenitum Filium Deum Verbum agnoscimus, &c.* Item in V. Synodo generali can. 4. *Si quis secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum equalitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut similitudinem, unionem Dei Verbi ad hominem factam esse. Et non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem, siue secundum subsistentiam factam esse, anathema sit.* Et can. 5. *Si quis introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, &c. anathema sit.* Et can. 6. *Si quis abusive & non vere Dominicam genitricem esse dicit gloriosam semper Virginem Mariam, anathema sit.*

Idem habetur in Concilio LATERANENSI sub Martino I. consultatione ultima, can. 6. *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie & secundum veritatem ex duabus & in duabus naturis substantialiter unitis inconfuse & indivise unum eundemque esse Dominum & Deum Iesum Christum, sit condemnatus.* Idem in Concilio VI. generali

et. 4. in Concilio Hispalensi II. cap. ultimo, Toletano VI. cap. 1. & aliis multis.

Probatur **QVARTO** ex Patribus. Ac in primis B. Cyrillus & Ioannes Cassianus ex professo hanc hæresim refutarunt. **CYRILLVS** in libro de incarnatione Domini, & in Apologético pro duodecim capitulis, & in aliis ferè omnibus suis operibus, vbi etiam multa veterù testimonia pro se adducit. **CASSIANVS** libros 7. de incarnatione scripsit contra Nestorium iussu S. Leonis I. & in fine libri septimi, plurima recitat Græcorum & Latinorum Patrum testimonia.

Præter ea quæ isti adducunt, possumus alia quædam afferre. Sanctus **IGNATIVS** in epistola ad Ephes. *Filius, inquit, Dei, qui ante secula natus est, ipse in utero portatus est à Maria secundum Dei dispositionem ex semine David & Spiritu sancto.*

Beatus **IUSTINVS** Martyr in libro de recta fidei confessione, circa medium: *Vnus, inquit, est Filius, & qui mortuus est, & qui id quod mortuum erat excitauit. Cum ergo de vno Filio contrarias voces audies, ea qua dicuntur naturis tribue: ac si magnum quiddam & diuinum, diuina id natura tribuito: si quid paruum & humanum, humana adscribito. Sic enim & verborum discrepantiam vitabis, cum sua utraque natura recipiet, & Filium vnum omnia secula antecessisse, & novum ex Scripturis fatebere.*

Sanctus **IRENÆVS** lib. 3. contra hæreses à capite 18. vsque ad 22 probat multis testimoniis Scripturarum vnum & eundem esse Iesum Filium Mariæ, & Verbum Dei Patris. **ATHANASIVS** in epistola ad Epictetum circa finem: *De solo, inquit, Maria Filio scriptum est, Verbum caro factum est. In quibus ostenditur, ad reliquos Sanctos Verbum factum esse, prophetandi gratia, ex Maria autem ipsum Verbum, carne assumpta, hominem produisse. Et infra: Non quod Filium à Verbo segregemus, sed quia eundem hunc esse agnoscimus, per quem omnia facta sunt, & per quem nos liberati sumus.*

Gregorius **NAZIANZENSIS** epistola prima ad Chelidonium: *Si quis, inquit, Virginem Mariam nequaquam Dei genitricem esse credit, ut etiam à Deitate sit separatus. Si quis duos introducit Filios, vnum quidem ex Deo Patre, secundum*

dum

dum autem ex matre, & non unum & eundem, adoptionis filiali qua promissa est eis qui recte credunt, exciderit. Si qui non adorat crucifixum, anathema sit, ac Dei annuneratorum resectoribus.

BASILIVS lib. 4. in Eunomium exponens illud: Dominus creavit me: Accipiendum est, inquit, Verbum genus, de Dei Filio: creavit autem, de eo qui formam serui suscepit. In omnibus vero his non duos dicimus, Deum per se, & hominem per se. Unus enim erat, sed iuxta intelligentiam cuiusque, naturam reputantes. DAMASCENVS lib. 3. de fide, cap. 9. Ipsius, inquit, Verbi hypostasis & simulque natura hypostasis existens nullam insubstantem esse permittit, &c.

Iam ex LATINIS S. CYPRIANVS lib. 2. contra Iudeos, cap. 7. Quod, inquit, cum à principio Filius Dei fuisset generari deberet denuò secundum carnem, &c. Et capite nono: Quod homo & Deus Christus ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos & Patrem posset, &c. HILARIVS lib. 2. de Trinitate: Unus unigenitus Deus in corpore sancti humani formam sancta Virginis utero insertus accreuit, qui omnia continet, & intra quem omnia sunt, humanam partem lege profertur, &c.

AMBROSIVS libro de incarnationis Dominicae Sacramento, cap. 5. Cum Deus, inquit, semper esset aeternus incarnationis Sacramenta suscepit, non diuiduus, sed unus, quia utrumque unus & unus in utroque, hoc est, vel in divinitate, vel in corpore; non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, &c.

HIERONYMVVS in cap. 14. Matth. Quod, inquit, si quis solus orare, non ad eum referas qui de quinque panibus quoque hominum millia satiauit, sed ad eum qui auditis mox Ioannis secessit in solitudinem, non quod personam Deum separemus, sed quomodo opera eius inter Deum & hominem diuisa sint ostendamus. Et in epist. de virginitatis cultu ad Eustochium: Dei Filius, inquit, pro nostra salute humana factus est Filius, decem mensibus in utero et nascatur expectat, & ille cuius pugillo mundus includitur, praesepe continetur angustiis.

AVGVSTINVS Enchirid. cap. 5. Proinde, inquit, Christus Iesus Dei Filius Deus & homo est, Deus quia Dei Verbum

homo autem, quia in Unitatem persona accessit Verbo anima rationalis & caro. Et cap. 36. *Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in Unitatem persona Unicus Filij Dei singulariter esset assumpta?* Similia habet lib. 13. Trinit. cap. 17. epist. 3. ad Volusianum; 102. ad Euodium. & 120. cap. 4. ad Honoratum, & alibi.

Denique B. LEO nihil frequentius repetit in omnibus suis sermonibus & epistolis, sed præcipua epistola 97. ad Leonem Augustum, cap. 1. ubi sic ait: *Anathematizetur ergo Nestorius qui B. Virginem Mariam non Dei sed hominis tantummodo credidit genitricem, & aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis.*

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

SUPEREST argumenta soluere Nestorianorum, quæ ut plurimum sophistica sunt. Argumentum PRIMVM, Ioan. 2. Dominus ait: *Soluite templum hoc, cum loqueretur de sua humanitate, ergo Deus Christus & homo Christus duæ personæ sunt; nam non dixit, soluite me. & præterea non potest esse idem, templum & qui in templo habitat.* Hoc argumentum facit Theodoretus in reprehensione secundi anathematismi Cyrilli, & postea sæpe repetit.

RESPONDEO, hoc argumento rectè probari, duas esse in Christo naturas, non autem duas personas. Nam etiam *animus noster dicitur habitare in corpore, ut in suo tabernaculo, quia diuersa est natura animi à natura corporis, & tamen vna persona est, quæ ex animo & corpore constat.* Iob. 4. dicuntur homines inhabitare domos luteas. & 2. Corinth. 5. Apostolus dicit: *Si terrestris domus huius nostra habitationis, &c.* Ibidem: *Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati.* Et 2. Petr. 1. *Velox est depositio tabernaculi mei.* Itaque rectè Chrysostomus homil. 10. in Ioan. ex illo: *Et habitauit in nobis,* colligit duas esse naturas in Christo: non rectè autem Theodoretus colligit duas personas.

Argu-